

SCRIPTA

Numéro Scripta : 215

Auteur(s) : Henri [chevalier]

Auteur(s) : Morin [chevalier]

Bénéficiaire(s) : Chartres, Saint-Père (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1086

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Les chevaliers Henri et Morin, frère de ce dernier, abandonnent les mauvaises coutumes qu'ils exigeaient à Saint-Georges[-Motel].

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Guérard Benjamin, *Cartulaire de l'abbaye de Saint-Père de Chartres*, Paris, Crapelet (Collection de documents inédits sur l'histoire de France ; 1ère série. Histoire politique), 1840, 2 vol., t. 1, p. 247-248.

Texte établi d'après a

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Patris videlicet et Filii et Spiritus Sancti. Omnes denique qui Christum credunt lapides vivi dicuntur, ut apostolus ait : Vos estis lapides vivi œdificati, domus spiritales. Igitur, si volumus ut inhabitet Christus in nobis et nos in ipso, hostes nostros, idest vitia, debemus interficere, Samuelis prophetæ sequentes exemplum, qui, gladium accipiens, Agag, regem pinguissimum, in frustra concidit, nobis in hoc ostendens factum, pugnantes contra carnis vicia nulli omnino debere parcere, sed omnia interficere, ne in mortis culpam incidamus, sicut rex Saul, qui Agag regi, contra preceptum Domini, pepercit, et ideo Dominus ab eo recessit, et spiritus malignus eum arripuit. Hoc exemplo et aliis quamplurimis Sanctarum Scripturarum exemplis plene edocti, notum esse volumus omnibus sanctæ Dei æcclesiæ fidelibus, tam præsentibus quam futuris, ego, videlicet Hanricus, et frater meus parvissimus, nomine Morinus, militari balteo utriusque accincti, quoniam ambitionem nefariam, quæ nos, in adolescentia positos, actenus decepit, a nobis abigimus, et, humili prece Eustachii, abbatis cœnobiî sancti Petri Carnotensis, ad hoc sumus perducti, ut, pro Dei amore et nostra salute, pravas consuetudines et intolerabiles, quas injuste accipiebamus in loco sancti Georgii, qui situs est non longe a flumine quod Arva dicitur, ex toto dimittimus ; solummodo eas retinentes, quas pater noster Rainbertus, pro defensione hominum, precario habuisse refertur, rusticorum videlicet boves ter in anno ad exercendam terram in eodem loco. Simili modo semel in anno et tempore congruo, de arietibus atque agnis, si fuerint, sine gravamine incolarum, monachus loci rector rogatus nobis prebebit, quatinus nos libenti animo ab omnibus hominibus, pro posse nostro, et locum et omnem rem loci intus et exterius defendamus. Negocium quidem si fuerit inter ipsius loci homines, quod sine bello finire nequeat, præsentem monacho, finietur in nostra curia. Prandium vero quod in sancti Georgii festivitate inverecunda fronte requirebamus, omnino dimittimus, quia male solennitatem celebrat qui se ab illicitis non custodit. Et, ut prælibavimus, omnes execrabiles consuetudines quas usurpabamus in præfato loco, nunc et deinceps remittimus, præter illas quas patrem nostrum habuisse a plurimis dicitur ; quæ præcario requirantur a monacho, non vi ab hominibus extorqueantur. Has autem litteras, quas fieri jussimus, signo sanctæ crucis publice in Drocis

castro inpresso corroboravimus, pariumque nostrorum ac fidelium manibus corroborandum tradidimus, quorum nomina inferius in testimonio jussimus scribi. Si quis autem profanus huic largitioni nostræ contraire voluerit, nisi pœnituerit, cum Juda proditore, et cum his qui Dominum Jhesum crucifixerunt, in inferno pœnas habeat carentes fine. Data est hæc carta Droicis castro publice, anno dominice incarnationis millesimo LXXXo VIo, indictione VIII, Philippi regis regni anno XXVI. Paulus, monachus et edituus, notarius extitit.